

20161 3549.
Ca 13.

Handwritten mark

AD

MEMORIAM TRISECULAREM
EMENDATORUM A DIVO
D. MARTINO LUTHERO
SACRORUM

DIE XXXI. OCTOBRIS VET. STYLI A. S. MDCCXCVII
SOLENNI PIQUE RITU CONCELEBRANDAM
COMMILITONES OMNIUM ORDINUM
OMNES ET SINGULOS

QUAM HUMANISSIME INVITAT

RECTOR ET SENATUS ALMAE
UNIVERSITATIS LITTERARUM
CAESAREAE DORPATENSIS,

INTERNUNCIO

D. HERM. LEOP. BOEHLENDORFFIO,
ORD. THEOL. R. T. DECANO.



PRÆMITTUNTUR PAUCA

DE

HONORIBUS LUTHERO HABITIS
ET HABENDIS.

DORPATI LIV.

FORMIS MICH. GERH. GRENZII,
TYPOGRAPHI ACADEMICI.

Handwritten mark

1. 2. 3.
Cl. 1. 2. 3.

2
Tartu Ülikooli
Raamatukogu

489345

Quemadmodum PLATO et cum Platone CIGERO, pueros vocant, historiae et ante nostram aetatem gestorum ignaros; ita certe quilibet ingenuarum doctrinarum studiis imbutus, miserae et jejunae plebeculae annumerabit eos, quorum mens in res praesentes adeo defixa est atque intenta, ut praeteritarum identidem memoriam recolere vel omnino recusent, vel negligant. Nostri quidem aevi homines, novissima quaevis cupidis auribus captare assveti, quippe qui miram sortis humanae inconstantiam et vicissitudinem oculis quasi suis persecuti eaque saepius perculsi et obstupefacti sunt, ab antiquitatis remotioris imaginibus animo repetendis paulo alieniores reperiuntur. Sed detumescentibus tandem sali impetuosi fluctibus, pacato per ALEXANDRUM, genium nostrum tutelarem, ejusque socios fortissimos, terrarum orbe, pacis-

que securæ et diu expetitæ olea Rutheniæ fines atque has nostras regiones svaviter obumbrante: jam commemorationi seculorum superiorum locus conceditur, jam retractare licet ea, quæ olim praeclare dicta seu facta, exemplo et tanquam vitæ speculo posteritati inserviunt. Ecquis enim tam rudis est, ut nesciat, vitam omnem exemplis magis quam rationum momentis duci, quis tam ingratus, ut majorum merita spernere quam imitari malit?

Haec nobis scribentibus, observatur ingens illa et prae aliis memorabilis rerum conversio, quæ seculo xvi a parvis initiis profecta, exiguo temporis spatio, in tantam excrevit molem, ut totius Europæ politicæ, ecclesiasticæ, civilis et literariæ non solum externa faciès, sed et interior ratio penitus propemodum immutata sit. Nostis enim, Cives Academici, Commilitones Honoratissimi, in pejorem, quam quæ verbis exprimi possit, conditionem, delapsum fuisse coetum christianum universum; id quod hierarchiæ Romanæ, justam, ea tempestate, lineam transeunti, ejusque administris, omnem pene verecundiam exuentibus, merito attributis. Tot tamque altæ radices jam egerat, ut ejus abrogandæ, saltem intra certos terminos coercendæ, spes, tantum non evanuerit. Non defuerunt quidem tunc temporis cordatiore

qui ore et scriptis in corruptelas, quibus tum civitas Dei depravata esset, acriter inveherentur, dogmata nonnulla humanæ inventionis, item mores dissolutos ecclesiasticorum et monachorum acutis diceriis perstringerent, denique ad concilium quoddam generale, eo consilio, ut et capiti et membris ecclesiæ, pristina redderetur integritas, instituendum, provocarent. Sed ad irritum ceciderant horum, nec non Principum quorundam conamina, a Pontificibus Romanis elusa. Maxima hominum pars, spissis et veluti Cimmeriis tenebris erat obvoluta, neque ipsi eruditiores, ut Persii dicto utar, veteres avias de pulmone revellere poterant. Superstitione igitur, fabulis vanisque opinionum et ceremoniarum commentis oppressi tenebantur animi; religio christiana, quæ pro ingenio et indole sua, universalis est, cujuslibet captui et necessitatibus accomodanda, dialecticis subtilitatibus scholasticisque quisquillis conspersa, sordes vix abluendas contraxerat; sacrae scripturæ, in bibliothecarum recessibus latentis atque publica luce prohibita, auctoritas infringi sensim et labefactari; Academiarum et scholarum, omni saniori institutione carentium, decus flaccescere videbatur. Suis tantummodo commodis prospiciens clerus, ridicula ignorantia insignis, nihil fere in concionibus publicis

agere, quam ut illam superstitionis vim indies augetet et latius propagaret. Haec tam foeda et atrocia ecclesiae vulnera, tantum abest, ut Romana curia sananda curaret, ut potius quovis veritatis non fucatae testes persequi et trucidare, Imperatorum, Regum ac Principum majestati bellum indicere, turbas civiles ciere, jura, summis magistratibus competentia, sibi arrogare et ex horum dissidiis fructus capere uberrimos consueverit.

Quam tantorum malorum congeriem et sentinam, cum e medio tollere providentia divina constituisset, quae est ejus in rebus humanis moderandis sapientia, excitavit egregium virum eundemque pavoris omnis et formidinis, in justa causa vindicanda, expertem, LUTHERUM nostrum, cujus sedula opera et indefesso studio, adjuvante supremo numine atque conatibus ejus mirum in modum favente, rupta sunt ingeniorum vincula, Pontificiae potestatis, cui ipsa Musarum domicilia tum fuerunt subjecta, columina graviter laesa ac concussa. Idem, instaurandae tum doctrinae, tum disciplinae ecclesiasticae consilium, dum in vivis adhuc esset, ita perfecit, ut jam veriore multisque commentis mere humanis repurgatam, religionis sanctissimae formam exhiberet, exhibitam constanter propugnaret. Celeri momento atque im-

pulsione quadam nunquam antea audita, semina ab eo sparsa coeperunt efflorescere; quae Theologiam circumfulsit lux, alias etiam illustravit scientias, novo ardore pertractatas; profligata philosophorum barbarie, crepare jam desiit inter Academicos horrida vocabula, quaestiunculae inextricabiles, distinctiones inanes, ad scholasticorum acumen perperam compositae; biblicorum sacrorum lectio, impedita prius, versionis germanicae, quae vel nunc auctoritatem obtinet classicam, ope, denuo invaluit; in integrum restituto tandem Principum legitimo imperio, civilis aequae ac domesticae vitae securitas firmata, amoenitas adaucta est.

Tot tantorumque LUTHERI sui meritum, quae singulatim et ad unguem recensere, hujus paginae non est, conscia et bene memor Ecclesia Evangelica, nunquam profecto oblivioni ea tradere sustinebit. Contigit ei vivo, quod magnis viris raro contingere solet, qui post fata demum, quales revera fuerint, a posteris agnoscuntur debitisque laudibus celebrantur. Nimis longa esset narratio, si qua institueretur copiosa, de honoribus, LUTHERO, dum vitali adhuc aura frueretur, habitis. Quae malevoli et obtrectatores, variis artibus usi, quid? quod mera passim mendacia fundentes, famae ejus detrahere satagebant, ea cumulatim

addita ab amicis et sectatoribus, artes illas re-
gentibus, mendacia confutantibus. Liceat de utris-
que aurea JOACHIMI CAMERARII, in vita
Melanchthonis, verba repetere: „Apud quos-
dam MARTINI LUTHERI nomen adeo odio-
sum est, ut auditum execrentur, contra non-
nulli in illius dictis aut factis aliquid argui,
omnino pati nequeunt, et si quis hoc facere au-
deat, eum statim impietatis reum declamitando
peragunt. Qui quidem MARTINI LUTHERI
auctoritatem et nomen ita celebrant, ut supra
conditionem et modum generis humani non du-
bitent extollere; iis videndum, ne praestantis-
simi atque summi viri bonam existimationem,
tribuendo nimium diminuere, et suae au-
daciae ab illa excellentia praesidium quaerere
videantur. At isti insectatores, qui non modo
omnia scripta illius damnant, ut impia et turbu-
lenta, sed nomen etiam auditum, tanquam omni-
nis mali detestantur, nunc etiam, si quid cor-
dis haberent, poterant reminiscendo considera-
re, quid acerbitate odii et contumacia pervica-
ciaeque adversandi et clamoribus vesanis effec-
tum sit.“

Puerum jam Nostrum praeceptoribus
suis multisque aliis magnopere se commendasse,
parentumque spem haud mediocrem fovisse, con-
stat; juvenis sic eminebat, ut toti Academiae

Erfordiensis, ubi litteris vacavit, ingenium ejus
admirationi esset. Ibidem, annos natus viginti,
Magisterii philosophici dignitate ornatus
est. Magna de homine adolescente cum existi-
matio, tum expectatio in causis quoque esse
potuit, cur plura, antequam opus difficillimum
aggrederetur, vaticinia, omnia et auguria circum-
ferrentur, quibus, quantus imposterum ille futu-
rus sit, portendi credebatur; inter quae, tes-
te MATTHESIO, aequali, praecipue ipsum
movit alloquium sacerdotis cujusdam senis,
cum, nimis litteris incumbens, in graviolem
morbum incidisset, adeo ut de se actum puta-
rit, ita eum monentis: „Mi baccalauree, bono
sis animo! Neque enim hic morbus tibi lethali-
s fuerit; sed Deus eum te virum faciet, qui
alios multos iterum consolabitur.“ Magni im-
primis fecit monachum suum venerabilis STAU-
PITIUS, Ordinis Augustinorum per totam Ger-
maniam tum Vicarius generalis, qui postea Fri-
derico Sapientis, Principi Electori Saxoniae,
auctor fuit, ut eum munere Professoris Phi-
losophiae, in Academia Vitebergensi recens
condita, condecoraret; quas ille partes susce-
pit anno MDVIII. Non ita diu post Theolo-
giam docere coepit, Baccalaureus denomi-
natus ad biblia exponenda, atque magistratus ur-
bis Vitebergensis Concionatoris functionem

ei obtulit; cui vocationi aegre paruit, difficilem rem arbitratus oraculorum divinorum coram populo expositionem, sed a Staupitio confirmatus, et huic se accinxit officio. Incredibile dictu, quanto omnium ubique locorum applausu eidem satisfecerit. Audierat eum ipse FRIDERICUS concionantem et vim ingenii, nervos orationis et rerum expositarum copiam et bonitatem fuerat admiratus; hinc, cum ex itinere Romano (Italiam enim profectus est anno MDX, ad negotia quaedam fratrum Ordinis sui, ei commissa, diligenter curanda) reversus esset, sumtus praebuit Princeps liberalissimus, ut anno MDXII Doctoratus Theologici honores in illum transferrentur, recusantem quidem eos et defugientem; quapropter Staupitium, memorant, persuadere ei volentem, ne dignitatem istam renueret, familiari sermone, vocem hanc praesagientem emisisse: „Multum negotiorum Deo jam in ecclesia fore, ad quae et ipsius usus esset opera “

Per omnia, quibus conflictandum erat LUTHERO, sacrorum emendationem auspiciati, pericula, imperterritus ille, laudem, quam jamjam sibi paraverat, mirifice promovit scriptisque multis, singulo fere anno in lucem editis, tuitus est. Haec quasi e tenebris et carcere Christum, Prophetas et Apostolos educere pu-

tabantur, piis omnibus atque eruditis gratissima, quamvis obstreperent adversarii, haereticarum doctrinarum notam eis inurere gestientes. Mirum etiam, quanto ei in depellendo hostium impetu, praesidio fuerit morum simplicitas, castitas et incorrupta integritas. Quamobrem, procedente tempore, ea polluit auctoritate, ut suorum jam dux et antesignanus haberetur, securitati ejus a Principibus et Nobilibus prospiceretur, quorum interdum intima familiaritate gavisus est, consilia rerum agendarum ab eo expeterentur. Jam tum, cum ad comitia Vormatiensia iter faceret, ubique locorum populus concurrere, videndi eum desiderio flagrare, fausta et secunda quaevis ei, tanquam triumphanti, acclamare. In ipsa urbe, domum, quam incolebat, trabeatae similem, turba obsessam tenere, optimus quisque et honoratissimus eam frequentare atque ipsum infracto animo esse, jubere. Quod Seneca (epist. xxxvii ad Lucilium) praeclare: „Si vis tibi, inquit, omnia subjicere, te subjice rationi; multos reges, si ratio te rexerit,“ id in hominem nostrum Islebiensem, nullo stemmate insignem, sed ingenio et virtutibus nobilem, omnino quadrare, nemo non videt. „Subsilire in coelum ex angulo licet: surge modo et te quoque dignum finge Deo“ idem alibi ait. Sapiens itaque ille virtute vicit fortu-

nam, et quanta in eo spes, quanta fiducia sit posita, testatur magna epistolarum copia, quas undique fere accepit. Nam non singuli solum, inter quos et Principes numerantur et suae aetatis doctissimi, verum etiam res publicae et civitates ad eum, suis rebus consulturi, recurrebant; cui eximio honori, vix alium parem existimare vel in medium proferre, aliquis audeat. Documento est Lutheri epistolarum collectio, a JOANNE AURIFABRO (Islebiae, anno MDLXV) adornata, ubi, quae ille rescripserit, continentur. Ut alia taceamus, legitur ibi in litteris ad GEORGIUM SPALATINUM, Electoris Saxoniae consiliarium, anno MDXXIII datis: „Magister LIVONIAE quoque ex me petit per nuntium et cancellarium, eruditum virum, (is fuisse perhibetur M. JOANNES LOHMUELLERUS) ut libellum ad suos populos scriberem de re christiana, aluntque ibi praedicatorem, (scilicet JACOBUM KNORKENIUM, primum in Livonia verbi divini Ministrum Evangelicum) et gaudent, se Evangelium habere.“ Mox huic petitioni annuisse Nostrum, indicare videtur alia LUTHERI epistola, priorem in eodem libro sequente, cui inscriptio est: „Electis Dei et Dilectis in Christo amicis et fratribus Rigae, Revellae et Tarbatæ, in Livonia agentibus.“ Neque ignota res est, pluries eum Livoniae incolas graviter ad-

monuisse, ut constanter permanerent in doctrina puriori ipsis tradita, lites et dissidia vitarent, concordiam colerent; praecipue vero cum Rigensibus litteris dandis, accipiendis, conjunctum fuisse, quibus et Psalmi CXXXVII explanationem anno MDXXIV missam, dedicavit. De his ille epistola itidem ad Spalatinum scripta: „Quotidie magis ac magis evangelium oritur et progredit in Livonia, praesertim apud Rigenses, feliciter, quorum legatum nuper suscepit; sic mirabilis est Christus.“

Inter honores, LUTHERO vivo habitos, non ultimum certe locum occupant cum amicitia, tum testimonia virorum aequalium clarissimorum, eruditionis singularis summa celebritate florentium, de eo splendida plane et magnifica. Vixit quidem BRASSMUS, alioquin sua nimium curas, timidus atque quietis studiosus, neque ideo Nostrum comparandus, saepius dixit: „Deus dedit huic postremae aetati, propter monhorum magnitudinem, acrem medicum. (Lutherum).“ Idem, cum legati Pontificii eum urgerent, ut calamum in Lutherum stringeret, promissae pingui episcopatu, in hunc modum respondisse fertur: „Major est Lutherus, quam ut in illum scribam; tantus, ut ex ejus unica pagella perlecta, plus erudiar, quam ex Thoma (Aquinate) toto.“ Alibi, in uno folio commentariorum

Lutheri plus solidae eruditionis contineri, affirmavit, quam in multis prolixis scholasticorum et aliorum similium scriptis. Ita semper, vel coram Regibus et Principibus, aequa de eo tulit judicia, atque emendationem ecclesiae necessariam, summam doctrinae ejus veram profitebatur. Iidem porro, qui REUCHLINI, viri suae aetatis merito celeberrimi, in nota illa rixa cum Theologastris et monachis Coloniensibus, partes sequebantur, nobilissimi quique et doctissimi, LUTHERO etiam nostro se adjunxerant ejusque causam tuiti sunt; inter quos solum ULRICUM HUTTENIUM nominare juvat. JOHANNES BUGENHAGENIUS, Pomeranus, cum ei, antequam LUTHERO sociaretur, ab amicis allatus esset liber de captivitate Babylonica, perfunctorie paginis aliquot perlectis, eum reprobat, sed singulis accuratius pensatis, palinodiam cecinit atque in haec erupit verba: „Quid ego vobis multa dicam? Universus mundus coecutit et in Cimmeriis tenebris versatur; hic vir unus et solus verum videt.“ GEORGIUS ANHALTINUS, Episcopus postea Merseburgensis, Princeps rarissimi a multis seculis exempli idemque doctissimo cuilibet aequiparandus, LUTHERI ejusque amicorum conversatione magnopere delectatus, saepe cum eis de rebus gravissimis disseruit. Imprimis vero memorabile MELANCH-

THONIS judicium, a MATHESIO relatum: „Pomeranus, inquit, est grammaticus, et verborum vim explorat: ego sum logicus, monstro contextum rerum et argumenta: Justus Jonas est orator, copiose et ornate disserit: sed LUTHERUS est omnia in omnibus, est miraculum inter homines; quicquid dicit, quicquid scribit, id in animos penetrat, et mirificos relinquit aculeos in cordibus hominum.“ Alios laudare supersedemus, quum et adversariorum suorum, quamvis ipsis invitis, testimoniis passim ornatum fuisse LUTHERUM, satis constat. Meminisse tantum non piget, ipsum Pontificem M., LEONEM X, sub ortum contentionis acerrimae, talia, lingua sua vernacula, effatum: „Che Fra MARTINO haveva un bellissimo ingegno, e che coteste erano invidia Fratesche“, CAROLUM vero V, CAESAREM, obiter et *ὡς ἐν παρόδῳ* dixisse: „Si sacrificuli frugi essent, nullo indigerent LUTHERO.“

Sed haec sufficient! Paucis tantum attingemus, quomodo memoria LUTHERI sui defuncti, ab Ecclesiae Evangelicae addictis, culta semper sit, ne forte extranei quilibet, ingratum erga virum talis commatis animum, nobis possint objicere. Cum primum nuntius de ejus obitu (die XVIII Februarii, an. MDXLVI, Islebiae, in urbe patria, ubi ad componendas

lites nonnullas, inter Comites Mansfeldiae exortas, ultimo morabatur), ad MELANCHTHONEM, novae Ecclesiae decus, fidum laborum comitem et adiutorem, quocum annis XXVII conjunctissime vixerat, nunquam interrupto amicitiae vinculo, quamquam ambo disparis erant indolis, perlatus esset; gravissimo dolore fractus et attonitus, haec exclamasse dicitur verba, e sacris litteris repetita: „Occidit currus et auriga Israël.“ Ipse senex LUTHERUS, in postremo illo itinere, Eslebam tendens, de discessu e vita, sibi instante, saepius cogitaverat, quumque Halae Saxonum, apud amicum D. JONAM pranderet, vitrum ei porrigens, exclamaverat:

„Dat vitrum vitreo Jonae, vitrum ipse
Lutherus,

„Ut vitro fragili similem se noscat
uterque.“

Idem D. JUSTUS JONAS, qui morienti affuerat, Electori, tum temporis JOANNI FRIDERICO, mortem ejus placidam et praesclaram (secundum sententiam illam: „non morior, sed cogor dormire“ quam LUTHERUS plurimum hominum bibliis inscribere solebat atque brevi antedibcessum, GASSMANNI cujusdam postillae domesticae inscripserat), per litteras statim indicavit, quibus hic tanta moestitia affectus est, ut Co-

mitibus Mansfeldiae, qui ejusdem argumenti epistolam ad eum transmiserant, indignabundus responderet: „sibi in votis fuisse, ne senem, permultis laboribus attritum, litibus suis importunitis turbavissent.“ Eadem epistola voluntatem suam illis significavit de reliquiis pie defuncti Vitebergam transportandis ibique in arcis aede sepeliendis: quocirca eas Bitterfeldum, (oppidulum Saxonicum) deducendas curarent, ceterum praecepisse se, quid ulterius esset faciendum. Decreverat enim magnificos, in tanti viri exequiis obediendis, honores. Magno igitur et splendido comitatu, cui plures Germaniae Principes se adjunxerant, ex aede St. Andreae, ubi prima die D. JONAS, altera M. COELIUS conciones sacras habuerant, proceditur. Per omnes urbes Saxoniae, quas itineris ratio permeare postulabat, ejusdem, tanquam paterno, funeri, justa quaedam ultro soluta sunt. Universus propemodum civium et incolarum coetus, cum uxoribus et liberis, obviam ire, Lutherum dormientem salutare, crebris admixtis lacrymis et singultibus prosequi. Cum Vitebergam ventum esset, ad urbis portam funus expectabant tota litterarum Universitas, senatus civitatis cum populo urbano, ecclesiastici et scholares; atque tum id, quod mortale et caducum in senes gloriosos fuerat, templi Academici sepulchro commissum.

POMERANUS et MELANCHTHON sermones recitaverunt parentales. Epitaphiis denique graecis, latinis, germanicis, epicediis et epigrammatibus varii generis, cineribus ejus litatum est. E posterioribus duo tantum, brevitatis ergo, adjicienda putavimus.

PHILIPPI MELANCHTHONIS:

Occidit omnigena venerandus laude Lutherus,
Qui Christum docuit non dubitante fide.

Ereptum deflet vero hunc ecclesia luctu,
Cujus erat doctor, verius imo pater.

Occidit Israel praestans auriga Lutherus,
Quem mecum sanus lugeat omnis homo.

Nunc luctumque suum lacrymoso carmine
prodat:

Hoc etenim orbatos, flere, dolore decet.

JOAN. MAJORIS:

Lutherus decimum confecit strage Leonem:

De clava noli quaerere; penna fuit.

Parentalia LUTHERI, die ejus emortuali, tum anno post ejus migrationem, et saepius repetita, tum inprimis ineunte novo quovis, inde ab instaurata religione, seculo, multis locis variisque modis, cantu et musica lugubri, sermonibus in Academiis et Scholis publice habitis, concionibus sacris, naeniis scriptisque et commentationibus in lucem editis, sancte celebrata sunt. Neque quemquam Vestrum fugiet, festum resti-

tutorum per evangelium sacrorum, non solum revolvantibus seculis, (tum quidem majori apparatu et splendore) sed et quotannis die xxxi Octobris in Germania et alibi solemniter agi; cui institutioni, summopere laudandae, debemus seriem concionum eximiarum, prae aliis lectu dignissimarum, rem istam tractantium, quarum auctor, Celeberrimus REINHARDUS, Regis Saxoniae Concionator aulicus primarius et in senatu ecclesiastico Consiliarius, Ecclesiae nostrae omnibusque omnino bonis anno m d c c c x i i flebilis occidit.

Ne vero suspicemini, refrixisse hac aetate debitam divi LUTHERI manibus venerationem, quam augeri potius et recalescere temporum nostrorum rationes postulare videntur; en libros haud contemnendos, quin singulari industria, novum Ecclesiae nostrae seculum gratulandi causa, a MARHEINECKIO, AUGUSTIO, multis aliis, elaboratos! en honores minime vulgares eisdem, ob negotium arduum et maximi consilii, cui ille primus auspicato admovit manum, hisce diebus, sive paratos, sive parandos! In memoriam Vestram revocare quoque lubet societatis Mansfeldicae litterariae propositum. Haec ineunte anno m d c c c i consociata, brevi post cogitationem, de monumento quodam illustri atque merita ejus, quem et aere

vel marmore posteritati commendari vult, quodammodo exaequante, erigendo suscepit, eamque publice declaratam, cum multis communicavit. Mirum, quanto omnium puncto et suffragio, istud consilium acceptum sit atque approbatum. Nam etsi LUTHERUS noster, immortalis nominis sui famam in ipsis animis, ne dicamus asseclarum, sed cujusvis, qui ab humanitate non plane alienus, conamina ejus eorumque fructus diuturnos rite perpenderit, satis superque firmasse censendus sit; nationis tamen Germanicae e cujus ille materno gremio prodiit, perpetuae gloriae inserviet, si ejusmodi monumento, externo gratae mentis indice, exigendo, virtutum excitamentum conspicuum exhibere haud abnuerit. Quocirca FRIDERICUS GUILLIELMUS, Borussiae Rex, et plures Germaniae Principes tale coeptum laudibus suis ornarunt, quid? quod largissimas omnino symbolas, huic operi perficiendo, liberaliter contulerunt. A pluribus autem viris, artis architectonicae et glyphicae gnaris, societati memoratae consultum est, qua ratione hujus monumenti tum magnificentia, tum pulchritudo alia ejusdem generis superare atque ipsorum artificum studia regere possit et promoveri. Conjungendum cum illo, si per symbolarum munificentiam licuerit, pium quoddam institutum, humanitatis quasi templum, Deo O.

M. gratum et acceptum, recte alii statuerunt, Interveniente vero nuper bello tristissimo, talia quidem molimina cessavere, sed vero simillimum est, nihil imposterum impediturum, quo minus ad finem exoptatum perducantur. Nos, qui thura non habemus, mola falsa litabimus.

Haec praemittenda judicavimus, Commilitones, ut in consortium TERTII FESTI SECLARIS, quo restitutorum a divo D. MARTINO LUTHERO sacrorum, memoriam et intra nostros parietes recolere, decretum nobis est et propositum, rite vocemus, vocatos praeparemus. Nam imaginem istam, seu potius sciagraphiam honorum, optimo jure, eidem vel habitorum vel habendorum, ad operis ardui, quod primus fortiter aggressus est, reverentiam ac justam existimationem, paullum speramus collaturam animisque VESTRIS generosis virtutum quoddam calcar et stimulum addituram. Interfuistis quidem nobiscum nuperrime solemnibus ecclesiasticis, hanc ipsam ob causam, egregie institutis, Deoque O. M., rerum humanarum moderatori, tantique beneficii auctori, initia ceremoniae, patrum more, precibus et votis piis, consecratis, gratias

sancta mente retulistis. Sed quum tanto argumēto considerando atque in communem usum vertendo una dies non sufficiat, sitque aliquid dandum corpori, diutinae et continuae meditationis impatienti, DIEM elegimus XXXI OCTOBRIS VETERIS STYLI, quo Universitas nostra litteraria iterum laeta conveniat, secundis omnibus, novum idque quartum inde a reformata ecclesia seculum auspiciatura, quaeque in nos majorum sunt merita, terrarum orbem fructibus suis vel hodie ditantia, conspicuo cultu et publicis laudibus prosecutura. Neque enim nos, quibus liberalis eruditionis fovendae et augendae provincia demandata est, deceret, datam nobis opportunitatem, recta de conamine honestissimo, nunquam vetustate obliterando, judicia in medium proferendi et propagandi, negligere; praesertim, cum IPSE IMPERATOR NOSTER CLEMENTISSIMUS pro singulari, quae connata Ei videtur, humanitate, eam omnibus Evangelico cultui in latissimo Suo imperio addictis, obtulerit et commendaverit. Ad hunc finem igitur, jam humanissime invitavimus quosunque bonarum litterarum sive fautores, sive cultores, in hac urbe degentes, omnes porro muneris et cujusdam affinitatis vinculo nobiscum nexos, Gymnasii Scholarumque Praefectos et Praeceptores dignissimos cum juventutis scholasticae corona:

VOS vero, CIVES GENEROSISSIMI et NOBILISSIMI, enixe rogamus, ut hora dicti diei X antemeridiana in Auditorio Maximo frequentes congregemini, progressus solennis ordinem decentem, introeundo atque exeundo, servetis, orationibus publice habendis aures attentas praebetis, omni denique modo demonstratis, quanta Vestrum, in celebrando Ecclesiae Evangelicae natali trecentesimo, sit religio, quantus in litteras divinas et humanas, earumque felicia incrementa, amor atque studium.